Quelle: https://manuscripta.at/?ID=457
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

transtulerint in eo loco ubi scriptum est: erubescet luna et sol confundetur, pro quo illi interpretati sunt: liquefient lateres, et ruet murus, nunc idem sequentes hebraicum lunam solemque transtulerunt. Unde mihi datur suspicio, non errasse eos a principio, sed paulatim scriptorum vicio depravatos. Neque enim fieri potest ut qui in hoc loco eadem verba bene interpretati sunt in superioribus erraverint. Indicat ergo interfectionis multorum cum arrogantes superbique corruerint, et qui posuerint in celum os suum didicerint esse se intra terram, lumen lune sicut lumen solis, quando dederit dominus celum novum et terram novam, et transierit habitus mundi huius, ut luna et sol laboris et cursus sui premia consequantur. Etenim expectacio creature revelationem filiorum dei prestolatur, quia et ipsa creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem glorie filiorum dei. Licet ea quidam organa lucis intelligentes intelligibilia esse contendant. Luna ergo solis fulgorem accipiet. Nec mirum hoc de clarissimo sentire elemento cui principatus noctis est traditus, cum de sanctis quoque scriptum sit: Fulgebunt iusti sicut sol. Et sol septuplum lumen accipiet, sicut fuit lux septem dierum, quando ab inicio creatus est mundus, quamquam vii dies lxx non transtulerint, quando dominus alligaverit vulnus populi sui, sive sanaverit contricionem populi sui, quando implebitur illud quod scriptum est: Fugiet dolor et meror et gemitus, quando subintraverit plenitudo gentium, salvus fiet Israel. Aut certe quando ultio eorum venerit quorum sub altari clamant anime: Usque quo non ulcisceris sanguinem nostrum de his qui habitant in terra. Et hoc considerandum quod non dixit quando sanaverit contricionem populi sui Israel, sive Iacob, sed absolute populi sui, ut omnes deo significet servientes. Quidam locum istum et omnia que in hoc repromissionum capitulo continentur ad celestem referunt Ierusalem, et ad reversionem populi eius quando implebitur illud quod scriptum est: Celum et terra transibunt. Alii ad Helye tempora et ipsum dictum esse de quo scriptum est: Erunt oculi tui videntes preceptorem tuum, et aures tue audient verbum post tergum monentis, et de montibus et collibus iuxta fabulas poetarum et saturni aureum seculum lactis rivos fluere et de arborum foliis stillare mella purissima. Que qui recipiunt, mille quoque annorum fabulam et terrenum salvatoris imperium iudaico errore suscipiunt, non intelligentes apokalipsin Iohannis in superficie littere medullata ecclesie sacramenta contexere.

EXPLICIT LIBER VIIII.

Liber sancte Marie in Niwenburga